



**Magna Gloria Antiquæ & Novissimæ Domus
Schwarzacensis A Magno Sacerdotio Sive Vita & Res
Præclare Gestæ ... DD. Abbatum Celeberrimi &
Antiquissimi Monasterii O. S. B. in Münster-Schwartzach**

Friedrich Karl <Bamberg, Bischof>
Wirceburgi, 1743

Nicolaus h. n. II. Abbas XLVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64362](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-64362)

pago Nordheim, qui jam tum ad Monasterium nostrum pertinebat. De rebus ab illo gestis pauca constant. Feriâ 6tâ post festum S. Mathiæ Apostoli anno 1540. vitam hanc mortalem morte beatâ clausit.

NICOLAUS h. n. II. ABBAS XLVI.

Qui cum duobus aliis de summa in Monasterio nostro dignitate contenderat, Nicolaus Scholl Grafenrheinfeldensis Patriâ, eam denique unanimi suffragiorum consensu obtinuit anno 1540. sexagenario jam major, & Cellariæ in annum 26. administrator. Monasterium invenit ære alieno laborans; quare cum ab Antecessore suo pecuniæ nihil ad delenda debita sibi relictum videret, invitus licet Friderico cuidam Zölnern curiam Krautheimensem vendidit, maximo nostro damno. Ad quod aliud etiam incommodum accessit à nonnullis ex nostra familia & à subditis externis profectum; Illi quidem operam Abbatii non fidelem præstitere, hi verò novis imbuti erant de religione opinionibus; unde factum, ut decimæ, non ut fas & æquum erat, exolverentur.

Veri-

Veritus eapropter Nicolaus, an solvendo annuo censui esset; Episcopo Wirceburgensi Conrado à Bibra reliquam decimæ Dettelbacensis utramque partem, totam decimam frumenti cum aliis iuribus vendidit undecim millibus & ducentis florenis. Damna hæc, utùt gravia erant, mala longè acerbiora exceperunt in Schmalkaldico præcipuè bello, cujus authores Elector Saxoniæ & Hassiæ Princeps extiterunt. Ex horum copiis peditum equitumque triginta millia 1546. 26. Julii castris prope Monasterium fixis agros & horrea frugibus, arcas nummis, cellas vino, domos pretiosâ supellestile spoliârunt; furore isto Schwartzacensis Asceterii tectis præsertim incumbente, cujus januas, fenestras, fornaces ita perfregerunt, ut, nullo commodæ habitationis loco relicto, Wirceburgum ad S. Stephani confugere cogeremur. Tumultibus istis compostis Schwartzacenses lares cum suis Abbas revisit, damnisque præclarâ suâ curâ resartis non multò post festo Simonis & Judæ ex hac mortali vita ad immortalem transiit anno 1551.

G

LEO-